

# MEDIOLANENSIS

D V C A T V S.

**L**EANDER in descriptione sua Italiae (post prolixam huius Ducatus gubernationis descriptionem) hæc de eius Vrbe primaria Mediolano refert: Vrbs est Mediolanum opportuno admodum situ; quo, præter agri ipsius vberimas fruges, è Gallia Cisalpina res omnes, tam ad vsum humanæ vitæ, quàm ad delicias vtilis, comportari queant. Spatium complectitur amplissimum, vsque adeò quidem, vt inter maximas Europæ totius Vrbes censeatur. Suburbia longa, lataque admodum habet, quibus plurimum augetur, plerisque tam ingentibus, vt cum magnis Italiae Ciuitatibus certent. Superioribus tamen annis strages vastas pertulere ob perpetuorum inter Carolum .v. & Gallos ac Venetos bellorum incendia; quibus propemodum maiori ex parte subuersa dirutaque sunt, quamquam nunc continuo studio reficiantur.

Vrbem, ipsaque suburbia, latæ aquarum fossæ cingunt; per quas vndique nauigiis annonæ copia defertur tam magna, nihil vt non vili hic pretio sit. Summam mercedis admirationem habet omnium rerum, quæ sunt ad vsum mortalium vtilis, huius Urbis insignis abundantia, copiaque. Tam multa hic, & tam diuersa artificum genera, tantaque frequentia, planè vt referri nisi difficillimè haud posset, vnde & vulgatum verbum celebre, Qui Italiam reficere totam velit, eum destruere Mediolanum debere; Nimirum, quo ex his sedibus artificum examina per omnes Italiae partes spargantur. Habet Vrbs ædificia mirè splendida, magnificaque; nominatim ædem perangustam amplissimamque, DOMVM vocant, immenso sumptu, ac tam admirabili arte factum, vt paucis omninò Orbis terrarum vniuersi templis conferri possit, siue magnitudinem & artificium, siue pretia marmorum & opera spectes: etenim non solum vndique foris intusque crustis niuei marmoris intacta nitet, verum etiam mirabilibus ex marmore statuis arte summa elaboratis est ornata. Præterea, sunt nobilia Fana permulta, inter quæ Gratiarum ædes, sodalitatis Prædicatorum è Regione munitissimi castelli Portæ Iouia sita; sumptuosum imprimis Hemisphærium à Ludouico Sfortia factum habens; sub quo cum vxore ipse poni volebat, sepulchro ibi ex marmore nobili constituto. Cænobium huic Fano insigne cohæret Prædicatorum, cum præclara bibliotheca, cumque nobili triclinio, cœnæ Christi & Apostolorum admirabili pictura decorato, quod est Leonardi Vinci Florentini opus, summam artem auctoris omnium picturæ peritorum censura probans. Priuatorum in Vrbe domus amplissimæ permulta conspiciuntur. Est & Arx Portæ Iouia, munitissimum, præcipuumque totius Europæ propugnaculum, quod vlla profectò vi capi nunquam potuit.

Sed & alia multa præter hæc præclara ædificia Mediolanum habet, quæ breuitatis causa præterimus. Hactenus Leander, qui cetera eius territorii

Oppida, locaque eleganter depingit. Vide de his etiam apud Vola-

terr. in sua Geographia; & Bonauenturam Castillioneum,

qui de Insubribus, eorumque antiquis sedibus, antiquitatibusque peculiarem ædidit libellum.

Scipsit & Bernardinus Corius, lin-

gua Italica Historiam Mediolanensium.

*Mediolani Scip.*





DVCATVS  
MEDIOLANEN-  
SIS, FINITIMA  
RVNQ; REGIONV  
DE SCRIPTIO, AV-  
TORE IOANNE GE-  
ORGIO SEPTALA  
MEDIOLA-  
NENSIS.

Scala miliarium  
Italicorum



43. 44. OCCIDENS. 43. Martigone. Nostra dama de Luxania. 46.

43. 44. ORIENS. 43. 46.

M E D I O L A N E N S I S

S E P T E M T R I O



